

Grata TIBI novitas erit hæc; si quando nepotem  
 Neptemve adspicies plenus honoris avus.  
 FORTUNATE RARENS, WEISI, dum cana senectus  
 Vires debilitat, gaudia magna capis.  
 Festa TUUS celebrat jam connubialia NATUS,  
 Unica spes generis, sola columna domus.  
 Jamq; vides SPONSUM cum SPONSA jungere dextras:  
 Has TIBI delicias nunc Deus ipse parat.  
 Quæ nova res melior poterat contingere PATRI,  
 Dum novus hic annus cœpit inire viam?  
 Oro ego propitium devoto pectore Numen,  
 Et, credo, obveniet nulla repulsa mihi,  
 Tramite felici cœptus TIBI currat ut annus,  
 Et procul a vestra sint mala cuncta domo.  
 Qui sua legitimo junxerunt pectora nexu,  
 Felices vivant FILIUS atque NURUS.  
 Amborum mentes sancto Deus impleat igne:  
 Sit SPONSUS Cajus, SPONSAQUE Caja Tibi!  
 Fata senis videas Senior prosperrima NATI,  
 Fias felicitis sæpeque prolis avus.  
 Egregias artes porro quoque tempore longo,  
 Sub signis discat culta juventa Tuis;  
 Doctrinaque Tua nascatur plurima proles,  
 Quæ TIBI, quæ patriæ gaudia plura ferat;  
 Donec in ætheriis longæ post tempora vitæ  
 Doctorum capias præmia grata locis.  
 Interea fidum pectus servabis amico,  
 Ex voto, qui TE, crede, valere jubet!

